





DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRLIS

DE EO

QVOD

IYSTVM EST

CIRCA

OPPIGNORATIONEM  
TERRITORIORVM GERMA-  
NIAE, EORVMQVE RELVI-  
TIONEM,

QVAM

DIVINO ANNVENTE NVMINE

INDVLTV ET AVCTORITATE

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

IN PER-ANTIQUA ELECTORALI VNIVERSITATE

ERFORDIENSI

PRAESIDE

DN. RVDOLPH. CHRISTOPH.

HENNE, Jcto,

FACVLT. IVRID. ET IVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ADESSORE

NEC NON IV. IS PVBLICI PROF. PV. L. ORD.

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN VTROQVE IVRE HONO-

RIBVS OBTINENDIS

*DIE XXIX. MAII MDCCLVI. HORIS CONSVETIS*

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI

PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT

IOHANNES ZACHARIAS SCHROETER

ORDINIS SENATORII ERFVRTENSIS MEMBRVM.

ERFORDIAE, Literis HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

INSTITUTUM  
OPTICORUM  
TERRITORII  
MAJ. FORKUM  
TIONEM  
DANTE ANNO  
SICUTI  
DR. RYDOLPH CHRISTOPH  
HENSE  
P.O. GRADY  
JOHANNES NACHBARS





S. I.



ecete rationes subduxit Illustris quondam  
GVNDLINGIVS a) quod si ea esset hominum  
conditio ac natura, ut pactis suis starent ac  
promissis, nec fidejussoribus opus foret nec  
pignoribus, nec alia cautione aut vinculo, quo constrin-  
gi illos videmus, qui contrahunt aut paciscuntur. Cum  
vero mille hominum sint fraudes, infinitique in ani-  
mis eorum recessus, valde simplex credulusque foret  
dicendus qui res suas ita vellet profundere, fidejuf-  
soribus nec pignoribus in securitatem crediti acceptis.  
Usitatissimum proinde est, ut creditori in securitatem  
debiti tradatur aut assignetur res quædam pignoris aut  
hypothecæ nomine, usque dum debitum fuerit exsolu-  
tum. Quare quod in fidejussoribus operatur consen-  
sus, ut teneantur pro debitore, & suo ordine conveni-  
antur, securis creditoribus, illud sine consensu alienæ  
obligationis suscipiendæ facit rei pignori obligatæ pos-  
sessio, aut jus quoddam in re hominis factò in me de-  
rivatum, cujus finis est, ut non solum debitor urgeatur

*Ratio, ob  
quam pigno-  
ra introdu-  
cta, tradi-  
tur.*

ad exfolvendum debitum desiderio possessionis rei suæ recuperandæ, aut omni vinculo vacuam habendi, sed & ubi debitum non exsolvitur, habeat, unde suum nanciscatur creditor, utque dum pignori incumbit, molestia per executionem debitum extorquendi possit superfedere, PVFENDORF. b).

a) de jure oppignorati territorii §. 1.

b) de jure Nat. & Gent. lib. 5. cap. 10. §. 13.

§. II.

*Definitio  
pignoris &  
differentia  
illius ab hy-  
potheca,  
proponitur.*

Pignus proinde sequenti modo definiri potest; quod sit rei suæ traditio a debitore facta creditori, ad fidem seu securitatem debiti huic faciendam, quo ipso facile discernitur ab hypotheca, licet enim inter pignus & hypothecam nominis origine spectata, & consulto jure civili quoad actionem hypothecariam nihil intercedat discriminis, in aliis tamen effectibus hodie omnino intercedit differentia. Pignoris appellatione ea proprie res venire intelligitur, quæ simul etiam traditur creditori sive mobilis sive immobilis, ea autem quæ sine traditione nuda conventionione tenetur obligata, proprie hypothecæ appellatione continetur a). Personæ pignus constituentes esse debent rerum domini, sive in privatorum censu sive in Imperantium ordine reperiantur. Domini vero requiruntur, quia in pignore aut alienatio est, aut ad alienationem via. Quamobrem opus hic est naturam & indolem domini perspectam habere, si de oppignoracionibus judicium quod rectitudine sua se comprobatur, est ferendum. Certitudo vero illius, ex eo maxime colligitur, ut illud aut in totum aut parte possit transferri, hanc ob causam proprietas aliis dicitur alie-

alienandi facultas vid. GROTIUS *b*). Ex eo enim tempore postquam relicta communione primæva, introducta fuerunt dominia, & certa unicuique assignata possessio, omnis manet rei suæ liber moderator & arbiter, reliquis omni facultate ad illam occupandam, auferendam, aut possessionem turbandam, quamdiu possidendi animum ipsum non deposuisse constat, aut etiam si alienare velit, impediendam, præcisâ. Quando enim aliquis domino obicem poneret, haberet vel aliquod jus in rem vel in personam, jam vero de libero arbitro & moderatore, hic nobis est sermo, filiofamilias, seruo, furioso & pupillo unacum omnibus personis libero arbitrio destitutis, procul hinc esse iussis & exclusis, quando vero in rem alteri aliquid juris competit, non plenum apud alterum dominium reperitur, non omnimoda excludendi potestas, quam vero supponendam esse, quilibet animadvertit, nec opus est, ut hoc legum aut Doctorum testimoniis probemus, cum naturalia hæc sint & rationi obvia.

*a*) §. 7. *Instit. de Actionibus.*

*b*) *de jure belli ac pacis lib. 2. cap. 7. §. 1.*

§. III.

Quæritur autem, quisnam in Republica habeatur pro domino & cui dominium sit adscribendum, sive illa unius imperio sive plurium gubernetur? GROTIUS *a*) hic Regna & Principatus, quos Reges aut Principes in patrimonio habent, ab illis, quos usufructuario jure possident, distinguit. Sicut enim quarundam rerum proprietatem jure pleno, aliarum vero usumfructum habemus, ita & modus habendi Imperium vel plenus est, vel imminutus. Illud autem in patrimonio dicitur, non

*Quomodo  
imperium  
acquiratur,  
indagatur.*

tam quod a Parentibus in nos derivatum est, sed & quod quocunque modo acquisitum, pleno dominio possideamus. Quamvis enim dominium proprie in rebus intelligatur, ac illæ potissimum in patrimonio domini esse dicantur, qui pro arbitrio illis uti & abuti potest, tamen postea iis accenseri cœperunt servi, ut isti non tam sibi, quam dominis perire intelligantur. PUFENDORFIUS *b)* hoc modo de patrimonio Regnorum disserit, quod cum ambitio regnantium inter præcipua bona imperium in homines ducere cœpisset, opibusque subditorum mulcendis cupidinibus multi abuti instituisent, Regna quoque in patrimonio numerata fuerint, circa quæ pro lubitu alienanda Imperantes disponendi facultatem acceperant, quod in hoc summa domini vis posita intelligebatur. Reliqui autem Reges, quibus tanta in Regnum suum facultas non concessa, idem illud velut personalem quandam possessionem & jure usufructuario obtinere, dici sueverint. HORNIVS *c)* autem rem plenam discriminis esse dicit, dum diversissima forent, proprietates in privato & Majestas Principis. Licet autem hæc recte se habeant, conveniunt tamen proprietates privata & Majestas Principis in uno tertio. Si enim jure Gentium, quæ capiuntur in bello, capientis fiunt, ita ut quocunque modo possint alienari, quare non eodem modo Imperium in populum possit acquiri jure belli subactum, vel sponte se majoris mali evitandi causa se subjicientem? quare non abdicare illud vel transferre in alterum, ut reliqua bona aliquis poterit? Quod si vero obijciatur, hoc esse Majestati Principis contrarium, considerare eum ut usufructuarium, vacillaturum hac ratio-  
ne



ne Principis solium, populo libertatem fore carpenti actiones Principis, quod intra modum non stetit, usufructus? respondemus nec hic simile esse extendendum ultra suum tertium, comparamus enim Principem cum usufructuario ratione alienationis, potestatis, dispositionis, arbitrii transferendi Imperium, quoquo velit modo, hanc enim facultatem nemini videri concessam, nisi expresse hæc delationi conditio fuerit adjecta, putamus, simplex enim Imperii delatio nihil aliud videretur involvere, quam ut administraretur & gubernaretur res publica, & provideatur, ne quid illa detrimenti capiat, in reliquis vero relinquatur ut fuit data & accepta. Ex quo prono fluit alveo teste *HVBERO d)* quasi usufructuarium non vere usufructuarium, tale Imperium quod patrimoniali opponitur, dici debere, inque hoc potissimum usufructum imitatur, qui nihil juris ultra vitæ terminos producit, nec alienationem inter vivos atque mortis causa regulariter permittit, in reliquis vero ab usufructu differt: Non repugnabimus tamen ut ad omnes scopulos vitandos aliquis non patrimoniale Regnum diceret, quod *GROTIUS* usufructuarium non impertinenti & incongruo sensu vocavit, dari vero ejusmodi patrimoniale Regnum ad oculum demonstravit *GVNDLINGIVS e)*.

a) lib. 1. de jure belli ac pacis cap. 3. §. 12.

b) lib. 7. de jure Nat. & Gent. cap. 7. §. 16.

c) lib. 2. de civitat. cap. 10.

d) de jure civitatis sect. 3. cap. 2. num. 26. 27.

e) de jure oppignorati territorii §. 17.

## §. IV.

*Quid de oppignorationibus imperii statuum, pro temporum diversitate, examinatur*

Sufficiant hæc in genere de oppignorationibus & de oppignorationibus Regnorum & Provinciarum in medium protulisse. Quod Imperium nostrum Romano-Germanicum attinet, diversæ temporum periodi a se sunt discernendæ, STRAVCHIVS *a*) enim operose adstruere conatur, ante CAROLI V. tempora res Imperii alienare aut in feudum concedere in Imperatoris arbitrio fuisse, CONRINGIVS *b*) vero aliis rationibus instructus, contendit, dudum ante CAROLI V. ætatem ejusmodi alienationes Imperatoribus solis fuisse denegatas. De antiquioribus autem temporibus nulla lis intercescit inter hos Duos viros, nam sub Carolingorum & Saxonum Imperatorum temporibus diplomata & scriptores illis coævus pro alienationum justitia loqui, satis apertum. Suevorum Imperatorum ævo quid licuerit, & an alienationes cum vel sine statuum consensu factæ fuerint, magis dubium. CONRINGIVS præcipuum sententiæ suæ robur in OTTONIS IV. juramento, cujus meminit MATTHÆVS PARISIENSIS *c*) ad annum 1210. Speculo Saxonico *d*) & WENCESLAI abdicatione ponit, cujus hæc in sententia exauctorationis leguntur verba apud VRSTISIVM *e*) quod complures urbes, terrasque tam in Germania quam Italia ad Imperium pertinentes alienaverit, parum pensi habens, ut eas retineret, quod perniciosè mutilasset Imperium & mutilum reddi permisisset, dum ex vicario Imperii creavit Ducem Mediolanensem. Ad quæ dubia respondet STRAVCHIVS, MATTHÆVUM PARISIENSEM non loqui de rebus, quas distraxerint Imperatores, sed quos homines avari, injusti,

justi, alienorum raptores ad se traxerint, speculum Sa-  
xonico autem nihil probare, non enim sequi, qui ju-  
ramento adstringitur defendere jura, illius arbitrio non  
relictam esse alienationem, defendere hic significare,  
Imperatorem providere debere, ne injuste alii invadant  
possessiones Imperii. Sententiam exauktionis inta-  
ctam reliquit, cui tamen occurrit *ITTERVS f)* distin-  
guendo inter potestatem & officium Imperatoris. Sub-  
inde etenim contingere, ut qui summa in republica po-  
testate gaudet, ita se gerat, & eorum quæ expressis Im-  
perii legibus prohibita sunt, nihil quidquam admittat,  
utcumque forte officii ratio repugnet. Fingamus enim  
summa potestate præditum Principem, cujus liberalita-  
ti in legibus fundamentalibus modus non positus, in-  
consultis largitionibus ærarium exhaurire, hic sane li-  
cet in leges fundamentales non peccaverit, male tamen  
republicam administrasse & subditis conquerendi  
causam dedisse, nemo negabit. Eodem modo Impera-  
tor, cum Imperii sui rationes ad civium commodum  
& utilitatem dirigere teneatur, omnia illa vitare debet,  
quibus reipublicæ vires franguntur, idque officii ratio-  
ne, licet legibus diferte illud prohibitum non sit.

a) in *Diss. de oppignorationibus Imperii* thes. 10-31.

b) de *Finibus Imperii* cap. 19. §. 22.

c) quod scilicet velit jura Imperii & dignitates conservare.

d) lib. 3. Art. 54.

e) tom. 2. pag. 180. seq.

f) de *Feudis Imperii* pag. 351. seq.

§. V.

Illustris GUNDLINGII a) hac de re sententia est; *Idem argu-  
mentum*  
existitisse jam ante tempora CAROLI V. vel legem ex-  
B *continua-  
pres-tur.*

pressam, vel consuetudinem rationi valde conformem inualluisse de non alienandis Imperii rebus, nimis attem coactam esse Speculi Saxonici explicationem, nimis laxam a fractis alienationibus sine consensu ordinum ad eorundem iustitiam probandam consequentia. Non negandum equidem RVDOLPHVM, LVDOVICVM BAVARVM CAROLVM IV. WENCESLAVM aliosque, nulla ordinum mentione facta saepe alienasse, oppignorasse, vendidisse ac donasse, concedendum quoque illud multis Principibus utile fuisse, cum alias ad tantam potentiam nunquam potuissent pervenire, negamus autem illud salvis legibus, minime omnium autem salva officii ratione fieri potuisse. Leve est quod urgetur, quasdam civitates Sueviae & Rheni privilegio esse munitas, de non oppignorando vel alienando, ergo oppignorare illas & alienare sine statuum consensu Imperatores potuerunt, unicum Francofurtensibus a CAROLO IV. concessum privilegium, quod LIMNAEVUS *b)* exhibet, contrarium loquitur, est enim ipsis provisum, daß sie vor dem Kayser und das Reich niemand pfandbahr seyn sollen in keinerley Sachen, und daß der Kayser und das Reich keine Pfand-Briefe über sie geben, oder die gegebene Kraft haben sollen. Hic igitur expressa Imperatoris & Imperii mentio occurrit, cujus consensus licet requirendus, ab Imperatoribus tamen saepe neglectus fuit, prout vel auctoritate & potentia valde eminebant, vel in Electorum ac Principum favorem ex Imperii patrimonio aliquid decerpebant. Sic nemo contradicebat cum CAROLVS IV. Imperii vectigalia Electoribus oppignoraret, ut suum eligerent filium WENCESLAVM teste ALBERTO AR-  
GENTI-

GENTINENSI c) & MUTIO d) licet nemo non contradiceret, cum WENCESLAVS GALEACIVM Ducis titulo honoraturus, ei simul Mediolanense territorium concederet, venderetque. Si quæramus quo prætextu has ærarii publici ac Domini mutationes palliaverint? hic maxime se commendat, non ullam Imperii partem hac ratione ab Imperio avelli aut separari, sed id quod donatum vel venditum intra summam Imperii jurisdictionem nihilominus substitutum, claram & apertam ferendi onera reipublicæ rationem, & tuendi Imperatorium splendorem id suavisse. Quæ ratio cum in aliis non invalida fuerit judicata, in WENCESLAO tamen illam ferre noluerunt Electores, cum parum sibi utilitatis ex alienationibus hisce ad ipsos redundaret, aliæque politica rationes iram & aversionem inspirarent. Hodie vero postquam nihil amplius est fere, quod oppignorari ab Imperatoribus possit, expressis & dilucidis verbis e) alienandi facultas est restricta, ut nemo sit, qui alienationis & oppignorationis restrictionem in dubium vocare audeat. Quid quod consilia sæpe sunt agitata de revocandis iis, quæ olim alienata & pignori obligata fuerunt, pertinet huc famigeratissima oratio IVLII PELVGII f) Episcopi Numburgensis, & quæ NICOLAVS CUSANVS g) hac de re differuit, quæ vero ad pia desideria sunt referenda, & quorum omnium eventum potius optare, quam sperare possumus, ea enim est hodie harum possessionum ac Possessorum conditio, ut de iis revocandis nequidem consilium capere possumus, & frustraneum sit, indagare, quo titulo quoque modo hæc vel illa provincia ad Imperatores olim spectans fuerit

avulsa, dum omnium ore ad quos hæc res potissimum spectat pro justis possessoribus a longo jam ævo fuerunt habiti ac ab ipsis sequentibus Imperatoribus desuper investiti.

a) *de jure oppignorati territorii §. 49.*

b) *in jur. publ. lib. 7. cap. 14. num. 14.*

c) *ad annum 1376.*

d) *lib. 25. chron. pag. 155.*

e) *Capitulat. Leopoldi Josephi Caroli VI. & VII. Art. 12.*

f) *de republica Romana, quam Goldastus politic. Imp. inseruit.*

g) *lib. 3. de concordia Cathol. cap. 30.*

§. VI.

*Iure Germanico antiquo in pignore translatum fuisse dominium, ostenditur.*

Hoc ut aliquid singulare, antequam ad alia transeamus, hic annotari meretur, in pignore Germanico translatum fuisse dominium a) neque hoc jus ita iniquum est, erat enim hoc in securitatem creditoris constitutum, penes debitorem nullum erat periculum, aut enim res incorrupta restituenda b) aut dandum pretium æquivalens, si non exstaret amplius, nulla fere exceptione admittenda. Ex hoc proinde intelligimus cur contra tertium non data fuerit debitori actio realis, patet etiam exinde cur creditor in Germania mutuo datam pecuniam amiserit, si res pignori data perierit, sive dolo sive culpa sive etiam casu, est enim ille patrio jure dominus pignoris, usque dum reluatur aut alii vendatur c) distinxerunt enim Germani in pignore, an culpa vel dolus creditoris intervenit, an minus. Si intervenit non solum amittebat pecuniam mutuo datam, sed etiam tantum adjicere debebat, quanti res oppignorata erat, aut venire poterat. Sin nulla intervenit culpa, nullus dolus, pecuniam suam solum amittebat, quod

con-

concipi vix potest, si in pignore dominium non fuisset translatum. Idem etiam quoad translationem dominii est asserendum, si res mobilis fuerit pignori data, ubi enim eadem est ratio, ibi etiam eadem debet esse legis dispositio, quamvis etiam nulla in legibus Germanorum quoad hunc pressum, rerum mobilium mentio facta fuerit. Exemplum hujus rei habemus in strata montana, quæ FRIDERICO Palatino Rheni Anno 1461. ab Archi-Episcopo & Electore Moguntino DIETERICO pro 10000. floren. & quod excedit, ob præstitum sibi auxilium & sumtus belli fuit oppignorata. Ea in dominio Palatinorum usque ad pacem Monasteriensem permansit, donec Elector Moguntinus soluta sorte id quod olim ad Ecclesiam suam pertinuit, recepit, nec poterit rerum harum gnaris, dubium esse, dominium fuisse translatum, modum & rationem hujus translationis exponit Chronicam Manuscriptum d) quo TÖLNERVS usus est. Eodem pertinent, quæ in historia electi in Romanorum Regis GÜNTHERI SCHWARTZBURGICI occurrunt, hic enim veneno quod FRIDANCKIVS Medicus propinavit, infeliciter hausto, animo & corpore infirmum se sentiens, Imperium in favorem CAROLI IV. æmuli hac conditione resignavit, ut sibi belli sumtus bona fide restitueret, quorum æstimatio 20000. marcanum argenti erat, exceptis 1200. marcis, pro impensis in electionem factis, debitis. CAROLVS vero qui solvendo non erat, ei in pignus offerebat Burgum & civitatem Gelnhusam, Mœni vectigal, & civitates Northusam & Goslarium, una cum annuis proventibus oppidi Molhusini, qui Imperatoribus alias pendebantur,

acceptavit illa GÜNTHERVS, sed dum ultima sibi immi-  
nere sentiebat, oppignoratasque civitates mandatis CA-  
ROLI adhuc refragantes animadvertiebat, petiit ab Im-  
peratore, ut sibi Fridbergam & reditus quos Franco-  
furtenses debebant, unacum ipsa eorum civitate pigno-  
ris vinculo obligaret, usque dum sibi de reliquis secure  
foret prospectum, integras literas exhibet LIMNAEVS e).  
Quemadmodum vero in rebus pignori traditis do-  
minium plenum, revocabile tamen transit, ita etiam  
exempla non defunt, ubi dominium utile alteri per in-  
vestituram collatum est, quod feudum pignoratitium  
vocant, vid. SCHILTERVS f) & differa feudo oppigno-  
rato, ubi creditor neque dominium neque fructuum  
perceptiorem lucratur, nec investituram a Domino di-  
recto accipit, aliaque quæ ad naturam & essentiam fidei  
vasalliticæ spectant, impune omittit, differt etiam a  
feudo fiduciae norante SCHILTERO g).

a) Sächs. Land-Recht Art. 24. lib. 2. Art. 60. lib. 2.

b) Sächs. Land-Recht lib. 5. Art. 5.

c) Art. 5. lib. 3. Spec. Sax.

d) p. 69. e) in iure publ. lib. 7. cap. 17. num. 7.

f) ad jus Feudale Alamann. cap. 97. g) loc. cit.

§. VII.

*Utrum in  
oppignora-  
tionibus  
territorio-  
rum Domi-  
ni directi  
consensus  
requiratur,  
exponitur.*

Non immerito hic etiam quaeritur, an Principes  
Imperii Romano-Germanici territoria sua oppigno-  
ratos, & dominium temporarium transferentes,  
consensu Imperatoris & Imperii, utpote feudi Domini  
opus habeant? De allodiis nullum dubium est, extant-  
que exempla apud HERTIVM a). Si Longobardici juris  
principia forent consulenda, imo etiam Alamannici b)  
affirmanda foret quaestio, sed hæc & similes leges apud

nos



nos hodie privatis dicuntur dictæ & latæ, est hæc recepta in Germania consuetudo, ut non implorent illum, aut diu exquirant, quam sive laudent, sive taxent, est recepta. FRANTZKIVS cujus Responsum exhibet STRVIVVS c) eam ex sublimi territorii jure defendit, olim non licuit d) jure superioritatis territorialis nondum adeo conspicuo, & sunt etiam hodie, qui inter modicum & magnum distinguunt, vid. ILTERVS e) & ZIEGLERVS f).

a) de super. tennitor. pag. 327. b) cap. 27. §. 3.

c) in syntagn. jur. Feud. cap. 14. Art. 29.

d) Jus Feudale Alam. cap. 26. §. 11.

e) de Feudis Imp. cap. 23. §. 5. f) de juribus Majest. pag. 105.

§. VIII.

Quod jura attinet creditoris ex tali pignore refultantia, fructus ut lucretur a pacto venit, exercitium vero omnium Regalium recte e dominio creditoris deducitur, in cujus manus territorium traditur, dummodo aliqua eo loci fuerint exercita, aut potuerint exerceri ab eo, qui pignoris vinculum necit. Unde subditi juramentum fidelitatis præstant, Principem ut Dominum venerantur, magistratibus ab illo constitutis parent, leges recipiunt, ab illo puniuntur, privilegia excipiunt, jura, immunitates, vectigalia recepta solvunt, onera ferunt quæ imponit, contribuunt, immo & accisas ut loquuntur, ad præscriptum pendunt, nulla exceptione valente, se olim sub antiquo Domino his contribuendi modis non fuisse assuetos. Nam novus Dominus alios mores, aliam vitam, alia onera licite inducere potest, quia Dominus est, & liberam administrandi facultatem in se temporarie consecutus est. Quod tamen ita

Jura credi-  
toris in op-  
pignorato  
territorio  
recessentur

ita volumus limitandum, ni addatur, ut eodem modo, quo debitor rexit, regat & creditor, aut etiam ordinum provincialium consensus in illis, quæ nominavimus, sit ex pacto adhibendus. Sed objicitur, territorii jure concessio non statim ad superioritatem & Regalium cumulum esse concludendum, sed ita putamus, nisi illa expresse sint excepta. Territorio enim regulariter inhæret superioritas, superioritati juncta censentur jura, juribus inest summa illa in Imperii terris vicens potestas, nisi quidem inferiori aut subdito ista fuerit concessio facta, nam tunc aliter responderemus, & subditum iisdem juribus minime gentium frui posse, adstrueremus, utpote subditus qua subditus non capax est ejusmodi jurium, quæ subjectum requirunt, tali dignitate præditum, ut ab illo ejusmodi jura exerceri possint, non solum enim est respiciendum ad possessionem alicujus rei, sed etiam hic personæ qualitas est consideranda, utrum nimirum talis sit, quæ jamdum in proprio territorio, ejusmodi jurium exercitio gaudet, utpote de quo casu nobis hic solum est sermo, vid. GVNDLING, a) RVLANT, b) & SIXTIVS c).

a) de jure oppignorati territ. § 1.

b) de commissariis parte 1. lib. 3. cap. 17.

c) lib. 1. de Regal. cap. 5. num. 3. seq.

§. IX.

Utrum creditor in oppignorato territorio jus patronatus competat, disquiratur.

Jus Patronatus facile quoque attribuitur Domino pignoratitio, in eo consistens, ut illi qui in fundis suis templa pii officii causa extruxerunt, & redditibus ad illa sustinenda necessariis instruxerunt, vicissim juris aliquid retineant, tamquam exercitiæ pietatis monumentum.

mentum, ministros sacrorum nominent & offerant. Quodsi enim universitatis bonorum emtores *a*) conductores & usufructuarii illud jus licite exercent, non potest sine maxima injuria idem illud denegari creditoribus pignoratitiis, Domini vices sustinentibus, & plus juris, quam usufructuarii & conductores nactis. Nec est, quod dubitemus, ipsum creditorem in terra sibi oppignorata, exstruere & fundare ecclesiam seu monasterium posse, maxime, cum videamus id aliis in alieno territorio petentibus fuisse concessum, exemplum afferente MATHAEO *b*) quæ ex jure Canonico objiciuntur, accurate removet STRAVCHIVS *c*) hoc tamen facile largimur creditorem Patronum Aug. conf. additum suæ religionis hominem Ecclesiæ Romanæ exhibere, aut ut loquuntur, præsentare non posse, & vice versa patronum creditorem Ecclesiæ Romanæ subiectum, non posse præsentare suis sacris addictum Ecclesiæ Evangelicæ, vid. HERTIVS *d*) nisi quidem ipsam religionem mutaverit Princeps creditor, aliamque induxerit consentientibus civibus, damus enim & hanc illi merito facultatem, ad stipulante COCCIO *e*) jus sacrorum siquidem ex territorio fluit, territorium autem penes creditorem est, omnisque quæ inde deducitur territorialis potestas, cujus præcipua pars est secundum principia evangelicorum, ordinare religionem, eamque dirigere ad *ἑνότητα καὶ εὐχρηστοσύνην*. externam, immo etiam reformare in totum, nisi subditi repugnent. Hoc modo si explicetur, vulgatum illud, quod trito circumfertur adagio: cujus est regio, illius etiam est religio, periculi sane nihil subest, ita ut

C

ME-

MEVIVS *f*) non habeat desuper conquerendi rationem: Ladenburgi actu mutarunt Electores Palatini religionem, nec dubium est, quin hoc jure potuerint facere, contradicentibus licet ICTIS Dillingensibus *g*) quos inter protestantes sequuntur BESOLDVS *b*) & KNIPSCHILD *i*). Quæ omnia non solum in allodiis sed & in feudis obtinent, utpote in quibus per investituram potestatis territorialis dominium utile transfertur, conf. STRAVCHIVS *k*) hoc etiam ulterius sequitur, suspensa in territoriis protestantium Pontificis jurisdictione, & reintegrato ordinum jure circa sacra, quod a Pontifice olim fuit possessum, conf. COCCEIVS *l*) reintegrari quoque in terris pignori subjectis jus illud regium vid. STRYCK *m*) videlicet jus Annatarum, pallii primarum precum, salvis tamen Imperatori suis juri- bus, ubi ea exercuit olim, & salva in his omnibus dispositione pacis Westphalicæ, quam veluti reipublicæ nostræ palladium merito intuemur, & quæ omnes in Imperio Romano degentes tam Imperantes quam subditos, quam laicos quam clericos obligat conf. celeb. & Illustris RECHENBERGIVS *n*) videlicet, ut terminus An. 1624. & quæ de illo disposita sunt, exacte observetur, nec alia in Germania, quam quæ tribus religionibus exacte congruit, inducatur. Unde de Anabaptistis, Molinistis, Quietistis aliisque sectis disceptationes, quoad tolerantiam possunt decidi ad quas componendas nonnulli distinguunt inter tolerantiam illarum & earum introductionem, quæ vero hic disquirere non vacat nec expedit.

*a*) cap. 13. X. de jure patronatus.

*b*) ad jus Can. Manut. lib. 2. tit. 22. §. 20.

*c*)

- c) de oppignorat. Imp. §. 47. 48.
- d) de super. territ. pag. 222.
- e) in jure publ. cap. 18. sect. 1. §. 29.
- f) in praelim. quest. ad jus Lubecense.
- g) in composit. pacis cap. 6. quest. 39.
- h) thes. pract. voce Pfandschillinga.
- i) de jure & privileg. civit. Imp. lib. 4. cap. 1. num. 5. 6.
- k) loc. cit. l) in jure publ. cap. 18. sect. 1. §. 27.
- m) in jure papali in terris protest.
- n) in Diss. de obligatione universali pacis Westphalicae.

S. X.

Supereft ut nunc agamus, quid circa reuolutionem pignoris territorialis, & inprimis antiqui iustum fit. Jus autem Romanum hic exulare debere, ipfa natura pignoris Germanici a pignore Romano multum recedens indicare videtur, operæ tamen pretium erit, ea argumenta examinare, quæ in persona successoris, aut alicujus veram rei qualitatem ignorantis ex temporis antiquitate statuta sunt, pertinet huc lex a) ita disponens: *Plerique putaverunt si heres sim, & putem rem aliquam ex hereditate esse, quæ non fit, posse me usucapere, alia juris Romani dispositio hunc in modum censet b).* Quod vulgo traditum est, eum qui existimat se quid emisse, nec emerit, non posse pro emtore usucapere, hætenus verum esse, si nullam causam justam ejus erroris emtor habeat. Demum aliquis textus c) rem pignori suppositam, si ex debitoris in alterius possessionem devenerit 30. annis præscribi posse, opinatur. Quare vix apparet ratio, cur id a tertio, qui a creditore eam accepit, aut a creditore qui tertii personam propter plures conversiones induit, non æque adverius debitorem fieri debeat.

*Quid circa reuolutionem ejusmodi territorii oppignorati, iustum fit, refertur.*



beat. His accedit textus *d*) hypothecarum persecutio-  
nes, si penes debitorem illæ existant, creditori non  
ultra 40. annos concedens, hocque ipso paritatem ar-  
gumenti contra debitorem formans, si creditor jure  
Domini possidere cæperit. Qua in re eo minus dubii  
hærebit, si ex jure Germanico addamus, non securi-  
tatem solum, sed fruitionem etiam Germanis pigno-  
rum fuisse causam, adeoque semper verum pretium,  
a creditore territorii possessore fuisse solutum, ut adeo  
contra debitorem, nil nisi deficiens animus rem recipien-  
di, probari deberet, quem lapsus 40. annorum, præsertim  
si is pecunia instructus, satis indicat. Multo magis au-  
tem id facit lapsus tanti spatii, ut nemo eo tempore,  
quo reluitio postmodum intenditur, sciat amplius,  
rem fuisse pignori suppositam, sed quilibet possesso-  
rem pignoratum pro domino habuerit *e*).

*a*) l. 3. ff. pro herede vel pro possessore.

*b*) l. 11. ff. pro herede vel pro possessore.

*c*) l. 3. ff. de præscript. 30. vel 40. ann.

*d*) l. 7. ff. eod.

*e*) arg. l. 1. §. fin. ff. de aqua & aqua pluv. arcend.

### §. XI.

*Quo tempo-  
re præscri-  
ptio locum  
habeat? ex-  
aminatur.*

Etiam si pactum ut liceat semper & quandocun-  
que redimere, intervenisset, præscriptioni tamen se-  
cundum juris Romani placita locum fecerunt SVR-  
DVS *a*) & MARTA *b*) at in omnibus iis, ubi alias præ-  
scriptioni locus esse non posset, valere præscriptionem  
centum annorum, uno fere ore fatentur Doctores,  
adeo ut vel per jus Canonicum, præscriptionem cen-  
tenariam in iis ferant, quæ contra jus commune sunt *c*)

FELI-

FELINVS *d*) TVSCH *e*) GEBHARD *f*) DECIVS *g*). Quin imo plane præscriptioni 40. annorum, multo magis vero immemoriali, etiam si clausula de relutione in infinitum competente, aut sub formula quomodocunque & quodocunque accessisset, locum dant, contrarium late refutantibus BALBO *b*) GAILIO *i*) WESENBERGIO *k*) & MENOCHIO *l*). Albo quoque hic lapillo notandum, omnes pro contraria opinione ab OCKELIO *m*) adductos, eo tandem concedere, ut præscriptionem tam pacti de retrovendendo, quam etiam relutionis pignoris, non adeo iniquam censeant, si modo justo de pretio constet, excluso contractu usurario. Adduci vero pro hac sententia posset, omnes eos, qui in æternum sibi relutionem pignoris justo pretio traditi stipulati fuerint, legum monumentis eatenus se conformasse, censerit, ut votis suis non transcendere voluisse, videantur, tempora a legibus cuique actioni præfinita, præsertim cum animadvertamus ejusmodi hominum votis ad omne ævum directis, tam in materia fidei-commissorum *n*) quam etiam in casu ususfructus perpetui ad hæreses transitorii *o*) certam æternitatem juridicam esse præscriptam, ne hominibus finitis, in orbe finito, actiones humanas plane infinitas reddere liceret, conf. Ill. SENCKENBERG *p*).

*a*) *decis* 2.

*b*) *indigest.* tom. 3. *tit. præscript. cap. 83.*

*c*) *cap. 1. X. de præscript. in glo.*

*d*) *in can. ad audientiam n 28. de præscript.*

*e*) *concl. 553. voce præscriptio.*

*f*) *de usucap. cap. 2.*

*g*) *conf. 85. num. 2.*

b) de praescript. V. part. princ. in 3. q. 4. part.

z) lib. 2. obs. 18.

k) Consil. 2. lib. 1.

l) lib. 3. consil. 201. num. 61.

m) tractatu de praescript. immemor. pag. 295.

n) Novell. 159.

o) l. 14. C. de usufructu.

p) de reuultione oppignorati territ. cap. 2. §. 15.

§. XII.

*Quae excep-  
tiones  
competant  
ex iure Ger-  
manico con-  
tra pignoris  
reuitio-  
nem, inqui-  
ritur.*

Ex iure Germanico vero itidem variae oriuntur exceptiones, quibus se tueri potest, pignoris territorialis ultra hominum memoriam possessio 1) exceptionem status rei mutati. Olim status, membraque Imperii eodem modo ac privati terras suas emebant & vendebant, de redditibus enim comparandis solum quaestio movebatur, nec Imperium adeo veniebat in computum, (utpote nondum introducta Superioritatis territorialis hodierna amplitudine,) haut ita magnae aestimationis, hodie vero aeris aestimationem fere excedunt, superioritate stabilita & ad *accuiv* deducta 2) nota juris regula habetur, creditori reddendum esse id ipsum, quod habiturus erat, si pecunia cuius dominium in alterum transtulit, semper penes eum mansisset, jam vero ea pecunia, qua v. g. seculo 12 aut 13 integræ terræ comparabantur, nostris temporibus pretio ita decrevit, ut ejusdem ponderis ac ligæ ære, ne vicum quidem alicujus momenti, ea interdum acquirere liceat, videatur SCHLEGELIVS a) de LUDWIG b) & de MEIER c) Quoties ergo quis pignoris ante secula contracti dissolutionem urget, ei ante omnia efficere convenit, ut pretia rerum in eum reducantur statum, quo tempore pignoris



ris demum traditi fuerunt, deinde etiam argenti valoris eundem modulum reparare debet, qui illo tempore vigeat, quod cum impossibile fere appareat, haut dubie re infecta discedere debebit, minime hic est materia mille difficultatum, ac litium, quas ob salutem publicam averruncare oportet, teste PVFENDORFIO *d*) GROTTIO *e*) & HERTIO *f*). Hinc prudenter 3) Germani omnes actiones humanas 30 annorum curriculo circumscriperunt, anno & die, sive anno cum termino Saxonico addicto, ut ab eo qui se læsum esse putaret, moveri posset. Intra 30 enim annorum spatium, non ita magna oriri poterat varietas, quam ob rem Gallis ac Germanis seculum 30 annorum spatium teste PLINIO *g*) concludebatur. Deinde quoque ejusmodi seculi decursus, sufficere videbatur, ut postea de jure possessoris non amplius quæstio oriri posset, isque jus suum dereliquisse videretur, qui eo interea non fuisset usus. Non vero quærebatur apud Germanos de bona aut mala fide sed solius temporis lapsus sufficiebat, nec unquam ante Romani & Canonici juris receptionem, de bona fide disputatum fuit, teste THOMASIO *h*) Illust. SENCKENBERGO *i*) & DR. RICCIO *k*).

*De nummis antiq. Götth. §. 52. pag. 47.*

*b) von Deutschen Münzwesen mittler Zeiten pag. 335.*

*c) von den sechsten Zins-Ehaler pag. 100.*

*d) de jure Nat. & Gent. lib. 5. cap. 1.*

*e) de jure belli ac pacis lib. 2. Cap. 12 §. 17.*

*f) Element. prind. civilis part. 1 sect. §. 19.*

*g) Hist. Nat. lib. 16. cap. ult.*

*h) ad Instit. pag. 160.*

*i) de relictione oppignorati territorii parte 2. §. 16. 17. 18.*

*k) de præscript. German. cap. 3: & 4.*

§. XIII.

## §. XIII.

*Alie adbu-  
cationes re-  
lutioni ob-  
stantes, ad-  
ducuntur.*

Hisce accedit alia ratio, quod nimirum 4) tam li-  
ga, quam pondus monetæ veteris ita sint immutata,  
ut in contractibus ante secula conflatis, vix ac ne vix  
quidem hodie scire detur, quæ ponderis valorisve fue-  
rit ratio, modo enim non constat, num datæ marcæ  
puri, num mixti argenti, an vero tantum marcæ nu-  
mulariæ, sive minimi pretii intelligendæ sint, deinde  
etiam eodem in florenis sive latis sive parvis, sive et-  
iam Rhenensibus oritur difficultas, quam nec egregii  
de re monetaria Germanorum libelli, tollere possunt.  
Quid quod 5) lapsus multorum seculorum plurima  
admisit, de quibus hodie facile fieri potest, ut non am-  
plius constet, sæpe multa oretenus tantum tractantur  
ad protocollum, multoties non modo singula moni-  
menta, sed integra quoque Archiva male custodita,  
aut alio modo injuriæ obnoxia pereunt, ut de serie totius  
negotii non pateat. vid. Ill. SENCKENBERG a). 6) Ideo  
quoque in pignore territoriali lapsis seculis vix am-  
plius ad relutionem perveniri poterit, quia status &  
membra Imperii, tam quantum matriculare, quam  
etiam omnia reliqua, statum familiæ & potestatem  
concernentia, possessionibus suis æqualia reddiderunt.  
Mutatio hæcce rerum status, quam in his & multis  
aliis passa est Germania nostra, plurima a juris ratio-  
ne plane abeuntia ob utilitatem publicam invenit, tam  
in his quam in ceteris rebus. Non crebro terrarum  
Domini hodie dant beneficia in immobilibus, quod ta-  
men olim secus erat, cum æquivalens recuperari non  
facile poterat, & quia amplioribus redditibus aliisque re-  
bus

bus opus. Non licet amplius alicui e familia pro lubitu terras suas alienare, quod tamen olim non ita magni aestimabatur, pecunia in locum succedente, & plura alia hujusmodi. Ita enim alias, ob mutatam in his omnibus rerum rationem, haut pauca singularia inuenta sunt, circa quæ in præsens hære, nihil attinet. Quis præterea ante hoc ævum novisset collectas provinciales ordinarias, sine consensu statuum, quis accisam & varia hujusmodi jura, in quibus ob mutatam status rationem & utilitatem publicam inuentis, putidum foret ad antiqua confugere, quorum ævum nostrum non amplius est patiens. Denique 7) in pignore territoriali ante seculum 16. constituto, etiam insignis illa mutatio in computum venit: quæ in ruitu superioritatis territorialis in Germania contigit. Non eget probatione, cum in re nemini ignota versetur, ante seculum 16. in plurimis Germaniæ terris, superioritatem territorialem, quam hodie novimus, aut plane non, aut non in ea fuisse amplitudine, qua postea esse cœpit, ut taceamus, rem demum ad umbilicum deduxisse præscriptionem ac observantiam, hæcque cuncta confirmantem pacem Westphalicam. Hanc vero superioritatem, cum etiam in terris alienis dari queat, status ii, qui ab aliis pignoris nexu sibi traditas regiones tenebant, adversus Imperatorem observantiam inducendo, non debitori quærere voluerunt, ignorantibus & de ea re nec cogitantibus quidem, sed animus sibi habendi ipsis fuit, utpote sine quo, nihil ab Imperatore in illos transisset. Si sibi acquirere voluerunt, etiam in dubio existimandum est, illos, terras quibus

D

inhæ-

inhærere debebat, suas putasse, nemine præsertim contradicente, minimum cum superioritatem semper exercuerint ut in suo, nunquam ut in alieno, nec quicquam de re aliena, cui superioritas inhæreat, dictum sit, nec etiam aliquis superioritatem rebus suis inferri, protestatus sit, haut dubie ab eo tempore, etiam ipsa terræ, superioritatis accessorium reddi debuerunt, præsertim cum regulariter, nemo superioritatem exerceat, nisi in suo, & si de alieno quæstio moveatur, expressis illud dicendum sit verbis.

a) de reuisione territorii oppignorati parte 2. §. 20. seq.

§. XIV.

*Quid circa  
feudi pigno-  
ratitii re-  
uisionem,  
obtineat,  
evoluitur.*

Sæpius etiam accidit, 8) casus, ubi Principes alii- que, res quasdam in feudum pignoratitium concesserunt. Qua in re plurimi defendunt, post lapsum annorum omnium hominum memoriam excedentem, reuisionem exerceri non posse, quos recenset OCKEL a). Alia vero offert se quæstio, si is, qui pignus a longissimo tempore possidet, se Dominum esse existimat, ac illud alteri in feudum offerat, is vero, cui offertur haut secus, ac se investiri petens, nexum pignoratitium nesciat, omnesque existiment, ejus qui vasalli conditionem induit majores, ab omni memoria fuisse Dominos, an tunc adversus eum, debitori ob pignus adhuc sit actio? At omnino dicendum erit, eum qui rem in feudum dedit, se Dominum tempore oblationis credidisse, alias enim fieri non potuisset, ut dominium directum in Dominum transferatur, dominium autem utile in investitum transeat. Nam creditor pignoratitius

titius non gaudet nisi usufructu pleno, siue dominio utilitatis, is ergo dominium utile non transferre potuisset, nisi animo Domini pleni rem tenuisset. Sed fac etiam eum novisse conditionem rei, tenuisse pignus, putasse autem, debitorem, qui tanto tempore rem suam neglexerit, reuisioni hoc ipso renunciaſſe, seque adeo Dominum rei factum, postea feudum oblatum dantem pariter & accipientem, possedisse inter scientes anno, inter nescientes 31. annis, haut dubie securi erunt de iure patrio, uti etiam securum præstat utrumque jus Romanum. Quæ omnia vero non alio in casu allegare licebit, quam contra eos, qui pignoris reuisioni post hominum memoriam, omnibus in eodem statu manentibus, non præscriptum esse existimant. Apparent ex hisce difficultates circa reuisionem pignoris per secula nexui subiecti, nec contra hæc iuvat, bonam fidem apud Germanos exuberantem ingeminare, aut verba, reuisioni semper & quomodo-cunque locum esse debere, extollere, cum quilibet largiri debeat, jamdum seculo 16. acerrime de his vocibus inter Ictos esse disputatum, & insignem illorum numerum existimasse, hæc reservata præscriptioni minime obstare. In ipsa camera profecto jam eo seculo, de iis acris contentio, fere componi nescia, orta est, teste GAILIO *b*) GRAEVEO *c*) MYNSINGERO *d*) CANTIVNCVLA *e*) WARMSERO *f*) HARTMANNO *g*) MEICHSENERO *h*) KLOCKIO *i*) & GOEDENIO *k*) Dissidentes a sententia præscriptioni locum concedente, communem esse contra communem hic fatentur, & admodum sustant, quomodo inde emergere velint. Autores con-

sultat. Saxon. cum difficultates insuperabiles, præcipue in præscriptione centenaria animadverterent, eo tandem sæculo 16. delapsi sunt, ut opinionem præscriptionem negantem, decalogo propiorem adeoque sequendam dicerent 1). Quibus ita stantibus, is minimum, qui docentibus ita juris esse, consiliariis suis, sententiam præscriptionem pignoris affirmantem, ut veriore secutus est, in optima fide fuit constitutus, & animo Domini tenens, haut dubie ab eo etiam tempore, quo lis inter Doctores in patria nascebatur, exceptione temporis se tuendi, sive de jure civili, sive de patrio quæramus, jus adeptus, videtur. Certe enim in tantis difficultatibus, in tantis opinionum divortiis, jam sæculo 16. Germaniæ illapsis, habet, quod sibi imputet, qui non statim de reversione pignoris cogitavit, & adversarium animo Domini tenentem, auctoritate judicis in viam reduxit, ne sententiæ suæ insistens, legitima tempora obtendere possit. Si vero jamdum ita dubitatum est, si renunciatio reversionis, ex dictis, per tantum tempus omnino præsumi debet, si mille res obstantes interea accidere potuerunt, quomodo hæc res adeo facilis videri poterit, ut quod a sæculis in ipsis summis Imperii tribunalibus ambiguum fuit, atque hodie adhuc eadem disceptatur ambiguitate, jam placida quiete quasi compositum, sine ullo litis sufflamine, præcepto terminari queat, scimus cum ignarissimis, tot enim difficultates ac ob tantum temporis lapsum rerum obscurissimarum perscrutatio omnino maximam requirit indaginem, conf. Ill. SENCKENBERG m).

a) de

- a) de praescript. immem. cap. 4. ibesf. 41.
- b) lib. 2. obsf. 18.
- c) ad Gallium hoc loco.
- d) Centur. 1. obsf. 16.
- e) consil. 17. num. 44.
- f) obsf. lib. 1. tit. 28. obsf. 3.
- g) tit. 22. obsf. 4.
- h) Decis tom. 3. num. 3.
- i) vot. cam. Relat. 1. num. 197.
- k) Consil. ult.
- l) lib. 1. quaest. 2. § 3.
- m) de reluitione territorii oppignorati cap. 2. §. 27.

## §. XV.

Omnes hæ difficultates in reluitione territoriorum ante secula oppignoratorum, occurrentes, probe cognitæ ac perfectæ fuerunt fratibus Imperii Illorumque legatis de pace Westphalica consilia ineuntibus, spectabant maximos litium acervos ex reluitione pignorum in Imperio orituros, nam tum ne quidem unanimes reddi potuerunt Jcti, super quæstione de pignoribus controversa. Jam vero majora agenda erant in Illustri hoc conventu, quam ut Disputationes de jure instituentur, unde omnia rejecta sunt ad futura Comitia, & arbitrium judicum legibus circumscriptum, ac religio solum pro objecto accepta. Quemadmodum autem pignora aut Imperialia erant, aut a Statuum altero alteri concessa, tam in uno quam altero casu religioni prospicere par fuit. Plæræque oppignoraciones apud Evangelicos existentes, ideo reluitioni subijci volebant, ut religionis reformandæ esset occasio, casus ergo erat hic Gravaminum in politicis

*Quid pace  
Westphalica  
hæc de re  
statutum,  
exponitur.*

ob religionem illatorum, de quibus hinc inde pace Westphalica differitur a) Et eo magis talis hic suberat casus, quo magis certum, adversus Catholicos hic nihil esse tentatum, Domino vero territorii cum etiam reformandi jus secundum Instrumentum pacis b) esset datum, quo religio in pignoribus Imperii instituta secura esset, hi qui pignora tenuerunt, tantisper restituendi, & Domini declarandi erant, donec consensu totius Imperii de reluitioe aut admittenda aut non admittenda, in tanto jurium conflictu esset statutum, verba c) ita se habent: *Quod ad oppignorationes Imperiales attinet, in Capitulatione Caesarea dispositum reperitur, quod electus Romanorum Imperator Electoribus, Principibus, ceterisque statibus immediatis Imperii, ejusmodi oppignorationes confirmare, atque illos in earundem tranquilla possessione defendere ac manu tenere debeat: Conventum est, hanc dispositionem, donec consensu Electorum, Principum & statuum aliter statutum fuerit, observandam esse.* Incertitudo proinde juris summa, hic & in capitulatione non aliter tollenda videbatur, nisi comitia id æquum judicarent, cum unius ejusdemque conditionis censerentur oppignorationes Imperiales, nec de judicii Imperii in hujusmodi causis boni quid augurari liceret, aut alius modus elabendi daretur. Quæ verum hujus §. sensum satis declarabunt & in tuto collocabunt. Perinde vero est, ac si reluitio in omne tempus esset interdicta, cum a tempore pacis Westphalicæ usque ad hunc hodiernum diem conclusum comitiale in hac litis specie nondum in lucem prodierit, nec spes affulgeat, fore ut in posterum



sterum illud prodeat, & hanc litis speciem valde distorram, dirimat.

- a) Art. 5. §. 2. § 29.
- b) Art. 5. §. 30.
- c) Instrum. pac. §. 26. in fine.

§. XVI.

Hanc ob causam admodum caute provisum est in *Quid ulterius I. P. W. hac seorsum disponat, traditur.* instrumto pacis Westphalicæ, ut petita reuisione oppignorati territorii, plena instituaturs causæ cognitio, conf. HENNIGES a) & possessorum exceptiones & merita causarum sufficienter examinentur, & domino liberum sit in terris ad se reuersis suæ religionis exercitium introducere, incolis tamen migrare non cogendis b) sed transactione sibi de religionis exercitio prospiciendi facultate relicta. Quo ipso patet ejusmodi subditos reuisione ad alium dominum diuersam religionem profitentem peruenientes ad annum decretorium non provocare posse, nec petere, ut eodem, quo hoc anno fuerunt religionis exercitio, ulterius relinquantur, sed potius jus reformandi ejusmodi domino majori cum libertate competere, nec ad annum decretorium adstringi.

- a) ad I. P. W. 417. seq.
- b) Art. 5. I. P. W.

§. XVII.

*Argumento  
huic finis  
imponitur.*

S. XVII.

Ulteriora, ut in medium proferamus, instituti ratio non fert, utut gravitas argumenti illud omnino postulare videatur, hinc nihil amplius in votis habemus, quam ut pauca hæc æqui bonique consulantur, & in meliorem partem interpretentur, cujus voti si compotes erimus, felix erit tractationis hujus

F I N I S.

Tempora mox lauro cinges qui clara dedisti  
Insignis studii jam documenta Tui.  
Gratulor ex animo, Schrœterè, Tibi, patriæque  
Gratulor & matri, spem superans hodie.  
Corporis & Vires tribuat Tibi Numen alacres  
Ut Themidis Sacris porro vacare queas.

Hicse paucissimis Clarissimo atque  
Doctissimo Domino Doctorando,  
cognato ac amico suo æstumatissimo  
de dignitate Doctorali ea,  
qua par est, observantia gratula-  
tur

HENRICVS AVGVSTVS FRANCK  
Conrect. & Rev. Min. Candid.

\* \* \*






ULB Halle  
005 355 710

3







DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS

DE EO <sup>1756, 2</sup>  
<sup>8.</sup>  
<sup>27. 11.</sup>  
QVOD  
IVSTVM EST  
CIRCA

OPPIGNORATIONEM  
TERRITORIORVM GERMA-  
NIAE, EORVMQVE RELVI-  
TIONEM,

QVAM  
DIVINO ANNVENTE NVMINE  
INDVLTV ET AVCTORITATE  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN PER-ANTIQUA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI  
PRAESIDE

DN. RVDOLPH. CHRISTOPH.  
HENNE, JCTO,

FACULT. IVRID. ET IVRID. II ELECTORALIS PROVINCIALIS ADSESSORE  
NEC NON IV. IS PVBLICI PROF. PV. L. ORD.

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN VTROQVE IVRE HONO-  
RIBVS OBTINENDIS

DIE XXIX. MAII MDCCLVI. HORIS CONSUVETIS  
IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT

IOHANNES ZACHARIAS SCHROETER  
ORDINIS SENATORII ERFRVTENSIS MEMBRVM.

ERFORDIAE, Literis HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.